



**Praxis Iurispatronatus Acquirendi, conseruandiq[ue] illud;
ac amittendi modos breuiter continens**

Viviani, Giuliano

Romae, 1620

Lib. 7. in quo continetur materia temporis, quo fieri debet præsentatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61772](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61772)

LIBER SEPTIMVS,

139

In quo continetur materia tem-
poris , quo fieri debet
præsentatio.



C A P V T P R I M V M.

Intra quod tempus fieri debet præsentatio.

S V M M A R I V M .

- 1 Præsentatio fieri debet in-
fra quadrimestre , si patro-
nus sit laicus , vel clericus pro
suo patrimonio .
- 2 Præsentatio à patrono ec-
clesiastico sit intra semestre .
- 3 Electio fieri debet intra
semestre .
- 4 Electus infra mensem de-
bet consentire .
- 5 Iuspatronatus si sit mix-
tum , semestre datur ad præ-
sentandum .
- 6 Idem est si ecclesia sit pa-
tron a ex donatione laici .
- 7 Tempus datum ad præsen-
tandum abbreviari non potest .

8 Patroni in fundatione pos-
sunt statuere tempus , intra
quod facienda sit præsentatio .

PRÆSENTATIO à patronis
laicis , vel clericis pa-
tronis ratione proprij pa-
trimonij facienda est intra
quadrimestre . cap. cum pro-
pter. de iurepatronat. à pa-
tronis autem à ecclesiasticis
facienda est intra semestre .
cap. vnico. de iurepatronat.
lib.6. cap. sicut. de supplend.
neglig. Prél. sicut enim Col-
lator habet semestre . cap. nul-
la. de concess. præben. ita.
patronus ecclesiasticus , qui
reputatur vt Collator. Ele-
cto-

3. Clerores & autem habent solum
 trimestre ad electionem fa-
 ciendam à die vacationis.ca.
 ne pro defectu. & ibi glos. &
 c. cum in cunctis. de elect. &
 4. deinde & electis infra men-
 sem debet consentire. capit.
 quam sit. vbi glos. de elect.
 lib. 6. & si fiat deuolutio ad
 superiorem, seruabitur tex. in
 dicto cap. nulla, & in elec-
 tione seruabitur text. in di-
 cto cap. ne pro defectu. Vide
 Lambertin. de iurepatronat.
 libro 2. par. 2. quæst. 1. ar-
 tic. 1. Si autem iuspatrona-
 tus & fit commune, & laici,
 & ecclesiastici, tunc omnes
 dicti patroni habebunt se-
 mestre ad præsentandum. glos.
 in cap. vnico. de iurepatron.
 lib. 6. quia magis dignum
 trahit ad se minus dignum.
 cap. quod in dubijs. vbi glos.
 in verbo consecratum. de
 consecr. eccl. vel altar. quod
 procedit etiam si laicus ha-
 beat maiorem partem, vt per
 Lambertin. vbi supra. art. 3.
 6. Quid si ecclesia fiat & patro-
 na ex donatione sibi facta à pa-
 trono laico, habebit semestre
 ad præsentandum. d.c.vnico.
 §. verum. de iurepatr. lib. 6.

7. Tempus & autem datum
 tam laicis, quam ecclesiasti-
 cis patronis ad præsentandum
 non crederem, quod ex con-
 suetudine possit restringi, &
 abbreviari, vel ampliari, &
 prorogari, cum ita sit à lege
 statutum, quæ seruari ab om-
 nibus debet: quia tamen
 consuetudo est altera lex, &
 multum operatur, in multis
 casibus fortasse contrariorum
 dici posset, de quo vide Lam-
 bert. vbi supra. art. 6. stante
 maxime longissima præscri-
 ptione. Possunt & tamen pa-
 troni in limine fundationis,
 cum consensu Episcopi appo-
 nere modum, quo succeden-
 tes patroni, si erunt ecclesiasti-
 ci præsentent ante, vel post
 semestre, vel si erunt laici,
 præsentent ante, vel post
 quadrimestre, & abbreviare
 possunt tales terminos datos
 à iure: tali enim casu potest
 patronus cum Episcopi con-
 sensu apponere modum, vel
 conditionem non solum ex-
 tra, vel præter, sed etiam
 contra ius commune. c. cum
 dilectus. vbi glos. in verbo
 constitutum. de consuetud.

CA-



C A P V T S E C V N D V M.

Quando incipiat currere patronis tempus datum
ad præsentandum.

S V M M A R I V M.

- 1 Tempus datum ad præsentandum incipit currere etiam ignorantia à die vacationis.
- 2 Tempus datum ad elendum, & conferendum currit à die scientiae, vel cessationis impedimenti.
- 3 Ratio diuersitatis dictorum casuum.
- 4 Patroni habent ius patronatus ex gratia.
- 5 Tempus datum ad præsentandum currit à die scitae vacationis.
- 6 Et à die cessationis impedimenti in certis casibus.
- 7 Tempus predictum non currit patrono, si superior eum præsentare vetet.

Tempus autem † prædictum patronis præsentare habentibus incipit currere à die vacationis. cap. 2.

- de suppl. negl. Præl. cap. 2.
§. cum vero. de concess. præben. cap. eam te. de iurepatronat. vbi Abb. Rot. Rom. de iurepatronat. in antiquis. decif. 1. quod currit etiam ignorantibus, & impeditis;
2 tempus autē † datum ad elendum, vel conferendum, & id simile incipit currere à die scientiae & cessationis impedimenti, non à die vacationis. ca. quia diuersitatem. de concess. præbend. & ratio
3 diuersitatis † est, quia Episcopi habent ius conferendi beneficia iure ordinario, cum sub eis subsint omnes basilicæ ecclesiae suæ Dioecesis. c. omnes basilicæ. 16. q. 7. electores etiā habent ius eligendi à iure, vt in tit. de elect. sed
4 patroni † ex gratia habent ius patronatus. dicto c. 3. de iurepatron. quæ gratia debet in quantum potest restringi,

vt

142 Pars II.Lib.VII.Cap.H.

vt minus lēdatur ius commu
ne. vide Lambertin. de iure
patronatus lib.2.part.2. q.1.
art.8.

- 5 Sed aduertas † quod ho
die tale tempus non currit,
nisi à die scitæ vacationis,
Card. Seraphin. decis. 380.
num. 1. Rot. Rom. pér ea
quæ ibi dicit, stante maxime
verisimile ignorantia, Rota
Rom. decis. par.1. decis. 421.
in nouiss. quando Rector de
cederet, puta Mediolani, seu
in Gallia, & patronus, & be
neficium esset Pisis, forsitan
totum quadrimestre posset
transire à die vacationis, an
tequam patronus certo sciret
defunctum esse Rectorem.
- 6 Similiter non † currit im
pedito iusto impedimentoo, quia
tempus non currit impedito.
Card. Mantica decis. 30. nu
2. Rot. Rom. Card. Seraph.
decis. 220. num. 4. puta si pa
tronus sit absens reipub. cau
sa, vel iniuste carceratus, vel

si non haberet tutum acces
sum propter perhorrescen
tiam alicuius inimici, cum
ecclesia sit pia, & cultrix iu
stitiæ, & quia ius patronatus
est concessum laicis ex gra
tia, vt inuitentur ad fabri
candas, & dotandas eccl
esiæ: quod si tam stricte, &
cum summō rigore contra
eos procederetur, reiaceren
tur à tali actione construendi
ecclesiæ cum maximo eccl
siarum detimento; vide
Marcum Antonium genuen
sem Episc. Isernien. in praxi
Archiep. Neapol. cap. 82. n.
1. varia de iure patr. Farinac.
decis. 406. parte 2. tomo 1.
Quod si à superiore talem
potestatem habente mande
tur patronis, ne præsentent,
7 quia † prætendit ecclesiæ
esse liberam, non currit pa
tronis tempus, quia tunc vi
detur orta lis inter eos, &
Episcopum; de quo vide Lam
bert. vbi supra art. 12.

CA-

C A P V T T E R T I V M.

Si lis sit occasione iurispatronatus, intra quod tempus sit terminanda.

S V M M A R I V M.

1 Lis occasione iurispatronatus non vacante ecclesia, non est terminanda intra certum tempus.

2 Si adueniente vacatione lis durat, elapsō tempore dato ad præsentandum, Episcopus Ecclesiam ordinare potest.

3 Episcopus debet ecclesiam liberam conferre sine mora.

4 Patroni si discordent, litis cunctus expectandus est.

5 Concil. Tridentin. sessione 24. de reformat. cap. 20. ubi in foro ecclesiastico causæ intra biennium sint terminadæ.

6 Concil. Tridentin. sess. 25. de reformat. cap. 10. in fine.

7 Patronus non præsentanti bus deuolutio fit ad superiorem.

8 Patronis litigantibus super facta præsentatione nullum currit tempus.

9 Lis inter præsentatos, vel simul inter præsentantes terminanda est intra tempus datum ad præsentandum.

10 Idem est si lis sit inter patronos super iurepatronatus.

11 Lite stante super iurepatronatus, si ante litem contestata fiat præsentatio, quasi possidens præfertur.

12 Episcopus potest Ecclesiam conferre lite non finita intra debitum tempus.

13 Lis inter compatrianos laicos, & ecclasiasticos intra semestre terminatur.

14 Lite vertente super iure eligendi, & non finita intra semestre, superior prouidet.

15 Patroni durante tempore dato ad præsentandum quocunque præsentare possunt.

Q uod si lis sit occasione iurispatronatus, infra quantū tempus debeat

144 Pars II.Lib.VII.Cap.III.

beat terminari, constitue cum
Lambert. de iurepatr. lib. 2.
part. 2. quæst. 1. art. 9. plu-
res casus.

- 1 Primus † est, quando ecclæ-
sia non vacante lis est super
iurepatronat. seu super eius
quasi possessione, & tunc nul-
lum consideratur tempus,
sed finis litis expectabitur, &
adueniente vacatione quasi
possidens admittetur ad præ-
sentandū. Quod si dicta † lis
etiam post ecclæsæ vacatio-
nem durauerit post elapsum
semestre, seu quadrimestre,
poterit Episcopus ecclæsiam
ad libitum suum ordinare. ad
tex. in cap. eam te. de iure-
patronatus.

Secundus est casus, quādo
ecclæsia vacauit, certumque
est eam semper fuisse liberā,
quia antea ab Ordinario tan-
quam libera fuit collata plu-
ries, & nunc aliqui laici præ-
tendunt ius patronatus; tunc
3 Episcopus † eam debet con-
ferre, nullo tempore expe-
ctato. Card. in clem. plures.
S. vlt. num. 1. de iurepa-
tronatus, debet enim conserua-
ri collator in sua quasi posse-
ssione, argumento tex. in cap.
consultationibus. de iurepa-

tronatus : quando vero tunc
non constat clare ecclæsiam
esse liberam, tunc Episcopus
non potest eam conferre, sed
debet in ea constituere Eco-
nomum, qui ecclæsæ deser-
uiat, fructus exigat, & reser-
uet pro futuro Rectore. cap.
cum vos. de offic. ordin.

- 4 Tertius est casus, † quando
constat ecclæsiam vacantem
esse patronatam, sed patroni
sunt discordes, quia diuisi-
runt vota sua plures præsen-
tando, & super hoc litigatur:
& tunc non currit nec seme-
stre, nec quadrimestre; sed
expectabitur finis litis, cum
pertineat ad Ordinarium di-
scernere numerum vocum,
merita præsentatorum, & li-
tem finire. super quo vide
dicta per Innocen. in cap. I.
& cap. 3. de iurepatr. Hodie
autem, seruari debet Conc.
5 Trident. † Sess. 24. de reform.
cap. 20. vbi causæ omnes ad
Forum ecclæsticum, quo-
modolibet pertinet etiamsi
beneficiales sint, in prima in-
stantia coram Ordinarijs lo-
corum dumtaxat cognoscantur,
atque omnino saltem in-
fra biennium à die motæ litis
terminentur: alioquin post id
spa-

spatium, liberum sit partibus, vel alteri illarum, Iudices superiores, alias tamen competentes adire, qui causam in eo statu, quo fuerit assumant, & quamprimum terminari current. Accedit id, quod dicit idem Concil. Trid. † Sess. 25. de reformat. cap. 10. in fine. vbi monet tam Ordinarios, quam alios quoscumque Iudices, ut terminandis causis quanta fieri poterit breuitate studeant.

Quartus est casus, quando constat ecclesiam vacantem esse patronatam, sed patroni non conueniunt in praesentando, & labitur semestre, seu quadrimestre: & tunc ex deuolutione Episcopus eam confert. ad notata in dicto cap. 3. de iurepatr. vbi Card. col. vlt.

Quintus est casus, † quando patroni inter se litigant, non super iurepatronatus, nec super eius quasi possessione; sed super forma praesentationis, quia unus dicit praesentationem de altero tanquam de absente factam non tenere, seu tanquam de criminoso, & simili, altero contrarium dicente: & tunc nullum cur-

Praxis Iuri patr.

rit tempus; sed litis euentus debet expectari per sententiam Episcopi. Cardin. in dicta Clement. plures. §. vlt. num. primo.

Sextus est casus, † quando est lis inter praesentatos tantum, vel inter eos etiam cum praesentantibus super iurepatronatus, eiusq; quasi possessione: & tunc si lis non finiatur intra semestre, seu quadrimestre, Episcopus ecclesiā debet conferre. ita lo. Andr. Cardin. Abb. & alij in dicto cap. cum vos. de offic. ordin. Card. dicto §. vlt. & col. vlt.

Septimus est casus, † quando esset quaestio inter patronos, puta, quia unus negat alium esse patronum, quia iuspatronatus amisit, vel eo fuit priuatus, & ideo ad tantum iuspatronatus pertinere: & tunc si lis non sit terminata intra sex, vel quatuor menses, Ordinarius eam conferre debet.

Octauus est casus, † quando litigatur de iurepatronatus inter patronos, & alter eorum est in quasi possessione, alter non: si omnes praesentent ante litem contestatam, debet institui praesenta-

K tus

146 Pars II.Lib.VII.Cap.III.

tus à quasi possessore. ad cap. consultationibus . de iurepatronatus .

12 Quod autem † dictum est supra, non terminata lite intra tempus debitum debere Episcopum ecclesiam conferre , procedit si sine scandalo pos- sit conferre , & nisi contraria adsit consuetudo in loco. Lapus allegat. 78. num. 17. vbi ait, vsum , quo superior lite non finita cōferat ecclesiam, recessisse ab aula: & Pisis huiusmodi adest consuetudo: & certe magnum damnum ecclœ infertur propter huiusmodi lites , & discordias .

13 Quod si lis sit inter † compa- tronos laicos , & ecclesiasti- cos super iurepatronatus, vel eius quasi possessione , lis erit finienda secundū supradicta intra semestre propter mixtu- ram , quia magis dignum- trahit ad se minus dignum .

Hostien. in sua summa in tit. de iurepatronat. §. quid juris si propter, & §. in quibus dif- ferant . Stante † autem lite super iure eligendi inter ha- bentes eligere , & non finita intra trimestre, Superior pro- uidere non potest. cap. 2. de in integr. restitut. cap. cum_ dilectus. de consuetud. & cap. ex parte de arbitr. sed expe- ctabitur litis euentus: quod declara , vt per Lambert. vbi supra art. 11. Aduertendum est † etiam, quod patroni po- sunt valide præsentare perto- tum quadriimestre , seu seme- stre, & quandocumque duran- te dicto tempore; per quadri- mestre patroni laici, per se- mestre patroni clerici. Abb. in cap. cum vos. num. 6. de offic. ordin. Rot. Rom. de iu- repatronat. in antiquis de- cis. 10. num. 1. tradit Lambert. vbi supra art. 13.



CAPVT

C A P V T Q V A R T V M.

Quadrimestre , seu semestre quomodo computetur , & an sit semper continuum : & quid si præsentatus non consentiat præsentationi , an habeat patronus nouum tempus .

S V M M A R I V M .

- 1 Quadrimestre , seu semestre quomodo computetur .
- 2 Curritque de momento ad momentum .
- 3 Exemplum cursus dicti temporis .
- 4 Tempus , dies , & hora attenditur , quando fuit publicum rectorem obijisse .
- 5 Quadrimestre , & semestre est semper continuum .
- 6 Tempus continuum , & utile quid .
- 7 Patronus nouæ ecclesiæ tenetur præsentare Rectorem intra quadrimestre à die donationis .
- 8 Patronus quando habeat nouum tempus ad præsentandum .
- 9 Et in eo non est computanda pars primi temporis .

- 10 Quod non procedit , si patronus verè non præsentauit .
- 11 Nec in electione .
- 12 Patronus laicus durante quadrimestre potest variare .
- 13 Patronus , qui præsentauit indignum , si sit restitutus , eidem remissum censetur tempus amissum .
- 14 Et si sit restitutus aduersus sententiam , habet nouum tempus integrum .
- 15 Patrono currit tempus à die veræ vacationis .

- 1 **Q** uadrimestre , seu † semestre quomodo computetur , tradit Rot.Rom.de iure patronat . in antiquis decif. 10 . num. 2 . remittendo se ad Hostien . in cap. licet . de supplen . neglig . Præl . ad Io . Andr . in cap . quam sit . de elect . lib . 6 . & ad Doct . in l .

K 2 vbi

148 Pars II.Lib.VII.Cap IV.

vbi lex.fl.de reg. iur. & tradit
Lambertin. de iurepatr.lib.2.
par. 2. quæst. 1. artic. 14. Si
2 enim dies † vacationis fuerit
in die octaua Ianuarij, die se-
ptima Aprilis erit ultima dies
trimestris. & ideo tale tem-
pus currit de momento ad
momentum, & in eo erit at-
tendenda hora. Doct. in
dicto cap. quam sit. S. electus
super gloss. in verbo mensem.
de elect. lib. 6. Et sit exem-
3 plum, † vt in praecedenti ho-
ra illius horæ, qua vacauit
ecclesia, licet sit eiusdem diei
computetur tempus: vt si dies
vacationis fuerit hora deci-
manona, hora decima octaua
currentis diei temporis à iure
præfiniti debet attendi: & at-
4 tenditur tempus dies, & ho-
ra, in quibus fuit publicum,
& notorium Rectorem dece-
sisse; potest enim accidere,
quod moriatur Rector hora
decima quinta, & quod non
publicetur nisi hora vigesi-
5 ma. Tale autem † tempus qua-
drimestre, seu semestre est sem-
per continuum, & quocum-
que die currit. cap. 3. de iu-
repatronat. Lambertin. vbi su-
6 pra ar. 15. Tempus † autem
continuum est, quod diebus

7 feriatis, siue non feriatis cur-
rit in præsentia, & absentia,
siue adsit, siue non copia lu-
dicis. Tempus autem vtile
est, quod non currit diebus
feriatis, nec in absentia par-
tis, neque vbi deest copia lu-
dicis. gloss. in Clem. vnica in
verbo continuum. de restitut.
in integr. vbi ait vtile aliquan-
do esse continue vtile, ali-
quando non. Si vero † de
nouo construatur ecclesia,
cum dos sit assignanda in ipsa
impositione primi lapidis, &
ne dos remaneat poenes do-
tantem, tenetur ipse patronus
à die dotationis infra quadri-
mestre, si laicus, infra seme-
stre, si ecclesiasticus præsen-
tare Rectorem: quamuis enim
tunc ecclesia non egeat Re-
ctore quoad spiritualia, eget
quoad temporalia, vel saltem
currit tempus à die, in quo
aduenit dies solutionis dotis,
nisi ante illud tempus esset
ecclesia ædificata: quia à die
perfectionis ædificij curret di-
ctum tempus, licet non adue-
nerit dies solutionis. Quod si
assignatio dotis sit omis-
sa, quo casu ecclesia dotanda
erit ab Episcopo, completa
constructione auctoritate Epi-
scopi,

Pars II. Lib. VII. Cap. IV. 149

scopi incipiet currere dictum tempus, ut per Lambertin. vbi supra art. 16.

8 Patronus etiam† habet nōnum semestre si clericus, quadri mestre si laicus ad præsentandum à die, quo præsentatus noluit consentire præsentationi, vel à die, quo præsentationem prius acceptatam renunciauit, vel à die mortis præsentati adhuc non instituti: & hoc tempus adeo est nouum, vt nullo modo in eo † computanda sit pars pri mi semestris, seu quadri mestris. argumento tex. de elect. loquentis in cap. si electio. de elect. lib. 6. vbi Doct. extendunt text. ad collationem, & postulationem, & super glos. ibidem in verbo integrum extendunt illum ad præsentationem. Rot. Rom. de iurepatronat. in nouis decis. 8. nisi super his fraus intercessis. 10 set. Et † secus est etiam si pa tronus elegit, & députauit præsentandum; sed eum non præsentauit actualiter. Lam bertin. vbi supra art. 17. quod 11 secus† esse ibi dicit in electio ne, cum ele&tus habeat Ius in re, non ad rem, sicut præsen tatus, vt ibi per eum: idem est

Praxis Iurijpatron.

si patronus ecclesiasticus pre sentet aliquem, qui postea re pellatur ob occultum crimen ante institutionem. ad tex. in dicto. cap. si electio de ele&t. 12 lib. 6. Patronus † autem laicu s tali casu durante quadri mestre tantum potest variare, & alium præsentare, vt per Lambertin. vbi supra art. 18. 13 Si vero patronus † qui præ sentauit indignum, sit à Papa restitutus, vt possit iterum præsentare, & restitutus sit aduersum lapsum temporis, censetur tantum restitutus ad tempus amissum. gloss. vlt. in fine in dicto cap. si electio. Si 14 autem † sit restitutus aduersus sententiam priuatiuam, potestatis, & tunc totum tempus quadri mestre, seu se mestre de nouo habebit. glos. in dicto cap. si electio in ver bo occultum.

15 Tempus † autem à die ve rae vacationis currit patrono; & ideo si Rector sit vere pri uatus beneficio, & tamen publicè regit, & administrat in illo; tunc patrono non currit tempus à die dictæ pri uationis, sed à die mortis prædicti Rectoris. Lapus allegat. 78. dubio 4. num. 12.

K 3 &

& sequentibus. Lambert. vbi
supra art. 20. & ratio est in-

hoc casu, quia patronus non
id tenetur diuinare.

CAPVT QVINTVM.

Quid requiratur quando pro patrono præsentat eius pro-
curator, & quid in præsentato.

S V M M A R I V M .

- 1 Procurator præsentans de-
bet infra tempus iuris man-
datum exhibere.
- 2 Paria sunt non præsen-
tare, vel insufficienter præsen-
tare.
- 3 Patronus intra tempus iu-
ris potest ratificare gesta per
compatronos, vel per suos
procuratores.
- 4 Præsentatio procuratoris
remanet nulla non exhibito
mandato intra tempus iuris.
- 5 Multi procuratores deci-
piuntur non exhibendo man-
datum.
- 6 Præsentatio fieri debet in-
fra tempus iuris præsente præ-
sentando.
- 7 Præsentatus debet accepta-
re præsentationem in tempore
debito.

8 Patronus post factam pre-
sentationem non tenetur aliam
facere instantiam.

9 Instituere habenti nullum
est præfixum tempus.

10 Præsentatus nō tenetur in-
stare pro institutione infra di-
ctum tempus datum ad præ-
sentandum.

Procurator + patroni, si
infra legitimū tempus quadrimestrī, seu seme-
strī procuratorio nomine
præsentet, debet infra dictū
tempus fidem facere de suo
mandato, eamque apud acta
exhibere in forma authenti-
ca. Lapis allegat. 22. Lam-
bert. de iurepatronat. par. 2.
lib. 2. quæst. 1. artic. 20. Pa-
ria enim + sunt non præsen-
tasse, vel minus sufficienter
præsentasse. cap. si quis iu-
sto.

sto. vbi glof. in verbo admit-
ti. de elect. lib. 6. Præsenta-
tio namque requirit certum
patroni mandatum. Card. in
cap. vlt. colum. vlt. de con-
cess. præbend. Potest etiam
3 infra † dictum tempus patronus ratificare gesta per com-
patronos , vel procuratores
suos, etiam per litteras , vt in
cap. ea noscitur. de his , quæ
fiunt à Præl. Rocch. de Cur-
te. de iurepatronat. in verbo
honorificum. quæst. 5. num.
23. & sequentibus : & de ra-
tificatione patroni, vide Ab-
bat. in consil. 76. parte 2. Et
4 ideo † elapso dicto tempore ,
& non sequuta mandati exhi-
bitione , seu patroni ratifica-
tione, præsentatio nulla, & in-
vialida remanet, & deuolutio
fit ad supériorem , qui tunc
ob patroni negligentiam con-
fert ecclesiam. Et in praxi
5 est † animaduertendum circa
prædicta, quia multi tāquam
procuratores patronorū ab-
sentium præsentant, & postea
infra dictum tempus nō exhi-
bent mandatum, nec procu-
rant patronorum ratificatio-
nem, & nihil efficiunt, & lites
fuscitant inanes. de hoc vide
Farinac. parte 2. tomo 1. de-

cis. 443. numero tertio .
6 Præsentatio † autem de-
bet intra legitima tempora-
fieri actualiter præsente præ-
sentando. Rot. Rom. de iure-
patronatus in nouis. decis. 3.
7 qui † præsentatus debet om-
nino intra dictum tempus
datum ad præsentandum
acceptare præsentationem .
argumento text. in capitulo
quam sit. de election. lib. 6.
& tradit Lambertin. de iure-
patronatus. libro 2. parte 2.
quæst. 1. artic. 22. Sed pa-
8 tronus † post factam præsen-
tationem non tenetur intra
dictum tempus , nec postea
facere instantiam coram Su-
periore , vt instituat præsen-
tatum. Rot. Roman. de iu-
repatronat. in nouis. decis. 4.
9 Nullum † enim tempus re-
peritur à iure statutum su-
periori ad faciendam insti-
tutionem , licet ad præsen-
tandum à iure statutum sit
10 tempus : immo † nec etiam
præsentatus tenetur infra
dictum tempus facere instan-
tiam , pro assequenda insti-
tutione. per dicta à Doct. in
cap. cum vos. de offic. or-
dinar. in cap. 3. cap. si ve-
ro. & in cap. eam te. de iu-

K 4 re.

repatron. Vide Rocch. de
Curte, de iurepatron. in ver-

bo honorificum. quæst. 36. &
Lambert. vbi supra. art. 23.

C A P V T S E X T V M .

Quid si patronus erret præsentando coram Ordinario, cum deberet præsentare coram alio, & an præsentatio præsumatur facta tempore debito.

S V M M A R I V M .

- 1 Patronus si iusto errore præsentet coram ordinario, potest iterum coram habente instituere, præsentare etiam lapsu termino.
- 2 Secus si præsentet coram inferiore, cum deberet præsentare coram Ordinario.
- 3 Patronus si absit contradicatio, non tenetur probare se præsentasse in tempore.
- 4 Præsentatio quando præsumatur, vel non, facta in tempore.
- 5 Præsentatio si fuit admissa, præsumitur facta in tempore.
- 6 Præsentatio admittitur si & in quantum.
- 7 Patroni non possunt mo-

ram purgare si lapsus sit tempus pus.

8 Episcopus potest elapsu tempore admittere patronum ad præsentandum.

9 Secus est si Episcopus non contulerit, nam tunc deuolutio fit ad Superiorem.

10 Patronus scienter præsentans indignum non admittitur.

Patronus si præsentet coram Ordinario, quando tamen facultas instituendi spectat ad aliud Inferiorem ex legitima præscriptione, seu priuilegio; quia patroni intentio fundata erat in Iure per text. in cap. omnes Bascilæ. 16. quæst. 7. quamvis lapsus sit tempus datum ad

præ-

præsentandum, & sciat tunc præsentationem fieri debere coram alio, bene poterit iterum præsentare ex iusta causa ignorantiae coram habente instituere; nemo enim tenetur scire iura priuatorum. c. porro. de priuileg. Si autem tempus institutio spectet ad Ordinarium, & patronus coram inferiore præsentet, tunc lapsus tempore patronis à iure dato ad præsentandum non poterit de nouo præsentare, quia Ordinarius iure communni habet illam auctoritatem instituendi, & neminem iuris ignorantia excusat, vnuquisque enim scire leges tenetur. I. leges sacratissimæ. C. de legib. nisi dictus inferior esset in quasi possessione instituendi. Vide Lambertin. de iurepatron. lib. 2. par. 2. quæst. 1. artic. 24.

3 Patronus & autem, seu presentatus, si nullum habeat aduersarium, & nulla adsit contradictione, non tenetur probare præsentationem fuisse factam statuto tempore, quia actus reperitur factus, & præsumitur factus debito tempore. vide Mascardum de probationibus. conclusio.

1218. Doctor. in cap. vt circa. §. 1. de elect. lib. 6. Si autem adsit & aduersarius, qui id neget, & præsentatio non fuerit admissa ab eo, qui debet instituere ex causa, quia lapsus erat tempus: & tunc non est præsumendum præsentationem fuisse factam infra debitum tempus. Si autem ex alia causa non fuit admissa præsentatio, tunc præsumitur tempus non fuisse elapsum. Verum si indistincte absque causæ expressione præsentatio non fuerit admissa, & tunc non præsumitur facta debito tempore; cum simus in incerto cur fuerit reiecta. Rot. Roman. de iurepatronat, in antiquis. decis. 12. Si autem præsentatio fuerit & admissa præsumitur facta debito tempore, etiam si fuerit admissa si & int̄ quantum, prout de stylo fieri consuevit. Lamb. vbi sup. art. 25. Neque possunt patromi, qui non præsentauerunt infra debitum tempus moram purgare, & quia ubi exequitio facta est à iure non admittitur moræ purgatio. Doctor. in l. si insulam. ff. de verbor. obligat. glos. & Doct. in cap. mo-

154 Pars II. Lib. VII. Cap. VI.

mora. de regul. iur. libro 6.
 & in hoc casu exequutio fit
 à iure, quo deuoluitur sta-
 tim ad superiorem libera-
 conferendi facultas, prout
 dicit Abb. in cap. vlt. de iu-
 repatron. & Rot. Roman. de
 iurepatronat. in nouis. deci-
 sio. 6. Potest tamen † Epi-
 scopus elapso tempore face-
 re rem gratam patrono, eum-
 que ad præsentandum admit-
 tere; ut per Lambertin. vbi
 supra artic. 27. num. 3. per
 text. in cap. 2. de supplend.
 neglig. Præl. ponderando ibi

verbum, liceat, quod ponit
 causam in voluntate illius,
 cui licet, & idem est in alio
 habente instituere. Quod
 non † procedit, si Episcopus,
 vel alias superior infra suum
 semestre non contulerit, cum
 tunc deuoluatur ad alium
 superiorem. cap. secundo. de
 concess. præben. Non † po-
 test tamen admitti patronus,
 qui scienter præsentauit in-
 dignum, & pro illa vice fuit
 iure suo priuatus, cum tunc
 priuatio sit in poenam. c. cum
 vos. de offic. ordin.

CAPVT SEPTIMVM.

An Ordinarius possit abbreviare tempus datum
 ad præsentandum.

SVM MARIVM.

- 1 Tempus datum ad præsen-
 tandum an possit abbreviari
 ab ordinario.
- 2 Edicto posito cum minori
 termino si alius petat tempus
 datum iure, obtinet.
- 3 Et si in termino edicti nul-
 lus compareat, sit institutio.

- 4 Collegy maior pars potest
 abbreviare tempus, & præ-
 sentare.
- 5 Si in termino edicti nul-
 lus comparuit, tamen re in-
 tegra intra tempus iuris pa-
 tronus præsentare potest.
- 6 Et si effet facta institu-
 tio, patronus potest in eam
 consentire.

7 Pa-

7 Patroni si sinant scienter
labi tempus edicti, non ad-
mittuntur postea.

1 Ordinarius † an possit
abreuiare tēpus da-
tum à iure patronis ad præ-
sentandum in appositione
edicti secundum dispositionē
tex. in cap.vlt. de elect. lib.
6. vbi gloss. & Doctor. dicunt
dictum tex. procedere etiam
in præsentatione, & ita de sti-
lo seruatur: Si alij compatro-
ni non compareant in termi-
no edicti, an eis præiudicium
afferatur, cōstituas super hoc
articulo sequentes casus.

2 Primus casus † est, quando
fuit positum edictum, cum
minori termino, & tunc si
quis compareat, & dicat se
velle expectari per totum
tempus sibi à iure concessum,
audietur, sed procedetur ad
vlteriora, & si producet iura
sua super eis iudiciū dabitur.

3 Secundus est †casus quādo
in termino edicti nullus com-
paruit, & est certum alium
habere iura minima in dicto
iurepatronatus, & tunc po-
test procedi ad institutionē,
sed melius esset dictum cer-

tum patronum citare citatio-
ne speciali.

4 Tertius est casus †, quando
iuspatronatus competit Col-
legio, & tunc maior pars po-
test abreuiare tempus iuris,
& vocata minori parte præ-
sentare, sicut fit in electione
secundum dicta per Abb. &
Doctor. in cap. cum nobis.
de elect.

5 Quartus est †casus, quando
termino edicti nullus compa-
ruit, & præsentantes eorum
iura produxerunt, & tunc re
integra ante institutionem
admittetur patronus ad præ-
sentandum, si duret tempus
patronis à iure concessum.

6 Sed si † sit facta institutio,
posset patronus pro conserua-
tione sui iuris repræsentare
institutū, & in eum consenti-
re. Si autem † patroni sciant
edictum, & sinant labi tem-
pus, quia tunc videntur tacite
approbare præsentationem
factam, si probetur dicta
scientia, non debent ullo mo-
do ad præsentandum admit-
ti: & de his vide alios deduc-
centem Lambertinum de iu-
repatronatus libr. 2. part. 2.
quæst. 1. art. 28.

CA.

C A P V T O C T A V V M.

Tempore vacationis ad quem pertineat Ecclesiæ custodia.

S V M M A R I V M.

1. *Custodia Ecclesiæ spectat ad habentem ius instituendi, si non sint patroni Ecclesiastici.*
2. *Si sint laici, spectat ad Episcopum.*
3. *Concil. Tridentin. sessione 24. de reformat. cap. 18. ubi Episcopus prouidit Ecclesiæ vacanti de Vicario.*
4. *Quando institutio spectat ad inferiorem, Episcopus Vicarium, inferior æconomum ponit, si vacet parochialis Ecclesia.*
5. *Æconomus in Ecclesia vacante ponitur ab habente illius custodiā.*

Tempore vacationis ille habet † custodiā ecclisiæ, qui habet ius instituendi gloss. penult. in fine in c.

cum vos de offic. ordin. & si patroni sint ecclesiastici, custodia ecclisiæ spectat ad eos, & ideo Episcopus in ea non ponet economum. Innocent. & alij in cap. vnico vt ecclesiast. benefic. & in c. 1.
 2. Ne se. vacant. Si autem † sint patroni laici, custodia pertinet ad Episcopum, quia laici non debent se intromittere de rebus ecclisiæ, nisi quo ad defensionem. q. 1. cum quatuor sequentibus capitulis 10. q. 1. Innoc. in dicto c. cum vos. ubi Abb. Card. & alij, nisi aliud esset de priuilegio speciali. Sed hodie debet seruari † Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 18. ubi vacante ecclisia parochiali cuiuscunque iurispatronatus, Episcopus in ea idoneum Vicarium, debet constitueri cum congrua eius at-

bi-

bitrio fructuum portionis as-signatione , qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur : & ita de stilo seruatur. Quod etiam 4 procedit, si parochialis + ecclœ institutio pertineat ad inferiorem. Praxis Archiepiscop. Leonis. part. 2. de collatione benefic. cap. 18. nu. 52. de qua re vide Lambert.

de iurepatr. lib. 2. par. 2.q. 1.
art. 29. Et generaliter in ecclœ + vacante ille ponit Oeconomum , donec ei de Rectore prouideatur, qui ha-bet illius custodiam. per tex. in dicto capitulo cum vos. & de tali œcono-mo loquitur Lambertinus vbi supra arti-culo 30.

C A P V T N O N V M.

Quid agendum , stante discordia inter patronos
cum scandalo .

S V M M A R I V M.

- 1 *Discordia patronorum stan-te Episcopus potest claudere ostia Ecclesiæ , aliaq; facere .*
- 2 *Dummodo prius eos ad concordiam reducere curaue-rit, Ecclesiamque conferre po-test .*
- 3 *Etiamsi dignus fuerit pre-sentatus .*

I **S**i inter patronos + sit di-scordia , & de facto ve-


lint facere , quod sibi placet , & magna oriuntur scandala , adeo ut malus timeatur euen-tus : & tunc Episcopus potest procedere secundum tex. in c. 1. & in c. 2. de iurepatron. scilicet iubere , ut claudantur ostia ecclesiæ , de ea reliquiæ sanctæ extrahantur , & deni-que recurrere ad brachium seculare , ad Papam , & ad Deum omnipotentem: & elapsò quadrimestre , seu seme-stre poterit eam libere confer-

re ;

158 Pars II.Lib.VII.Cap.VIII.

2 re ; dummodo prius † eos re-
ducere ad concordiam cona-
tus sit , & eam confert si sine
scandalo id facere possit . ad
tex. in cap. 3. de iurepatron.
3 etiam si præsentatus † esset

habilis, & dignus ad scanda-
lum vitandum . Vide de hoc
late dicentem Lambertinum
de iurepatronatus . libro 2.
parte secunda. quæstione 1.
articulo 31.



LL